



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Magni Servi Dei P. Julii Mancinelli Societatis Jesu**

**Cellesi, Jacopo**

**Oeniponti, 1677**

Proœmium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42734**



# LIBER III.

## DE VITA PATRIS JULIJ MANCINELLI.

Visiones, Revelationes, Gratiæ singulares  
ipſi à Deo concessæ.

**N** hoc ultimo libro habiturus quidem sum materiam scribendorum copiosam admodum & prolixam, verum, ut opinor, non ita ex ordine & continentि filo pendentem; Pater enim Julius jam prius eam scriperat: Cùm autem sua cum animi demissio interpellaret, totam deinde historiam dilaceravit metu & odio vanæ gloriæ, quòd cùm superiores rescissem, novum ei præceptum injunxerunt, ut eam iterum conscriberet, quod cùm aliquot post annis obedienter exequeretur, factum est, ut ille rerum omnium non tam exactè amplius meminisset, & multa adjuncta alioquin historiam valde exornatura vel silleret, vel omitteret, satis habens substantiam indicasse factorum, & obedivisse, adjuncta autem sive accidentia non magnopere accuravit ex dubio, ne forsan quæ deciperetur, quanquam ipse plus quam certus esset, suum spiritum esse bonum & tutum ex continua eventorum serie, & infallibili successu, item ex certis assistentis sibi divinæ gratiæ & per superiores approbatis signis, quos inter erat Sanctus Franciscus Borgia sibi amicissimus, & in hisce casibus versatissimus, & ab omnibus prudentibus ac bonis viris, qui ipsum noverunt, ac cum eo egerant.

P. Julius  
se scripta  
dilacerat  
vetat.

Imperata  
nova scri-  
ptio.

Omisit ad-  
junctare-  
rum, accel-  
erat obli-  
vio.

Gg 2

Nec

P. Julius  
scripsit tra-  
statum, in  
quo distin-  
guit reve-  
lations,  
visions &  
intelligen-  
tias.

Operatio-  
nes naturæ  
& gratiaz,

Nec ipse similibus in rebus hospes fuit & peregrinus, nam integrum & solidum reliquit tractatum, in quo summa cum prudentia, doctrinâ ab experienciis collectâ describit, & distinguit revelationes, visiones, & intelligentias, separat bonas à suspectis, docet modos eas cognoscendi, ne ab astuto decipiatur spiritu, qui se transfigurat in angelum lucis, ut simplicibus & incautis imponat. Quo in proposito solidè valde & perspicuè tradit modos, quos tenet intellectus noster operandi, de divisionibus, & speciebus, de viribus imaginatrixis facultatis, de varietate phantasmatum, de operationibus, quæ haberi possunt à natura, & quæ à gratia, ut & ultra naturalem, & acquisitam etiam se prober experientissimum supernaturalis & infusæ philosophiæ; lectorique sua lustranti planè persuadeat, fieri de facili non potuisse, ea subjecta esse erroribus. Inter plurima ab ipso relicta ego faciam delectum, afferámque ea duntaxat, quæ sunt illustriora, neque tædio esse possunt legenti propter similitudinem.

## C A P V T I.

## De Sanitatibus miraculosè collatis.

Inventio  
Cilicij mi-  
raculosa.

**I**N hac materia, qua de agunt omnia prope hujus vitæ capita, & quæ sola sufficeret contexendo magno volumini, placet mihi exordiri in hoc præsenti capite, ab eo, quod mihi causa & occasio fuit scribendi omnia reliqua capita, & est inventio cuiusdem cilicij Patris Julij miraculosa, plus quam quadraginta annis post ejus mortem Maceratae in Patria sua in lucem protracti, ubi postquam per illud ( ita dicere ex vero possumus ) moribundam à morte ad vitam revocavit, pergit nunc quotidiè servus Dei conferre gratias, & continuata beneficia. Lucia Vxor Petri de